Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26207
Copyright: Admont, Benediktinerstift

soli petro concessa est et imitatoribus eius. sed subaudis digne vel imitatoribus; integra vel. sed non inmutata. Ordinis ergo haec est dignitas non personae: quod augustinus probat exemplo cayphe. dictum est enim quidem de nequissimo caypha. hoc a semetipso non dixit. sed cum esset pontifex anni illius. Per quod ostendit spiritum gratiae non personam sequi dignam vel indignam. sed ordinem traditionis. ut quamvis boni meriti aliquis sit. benedicere tamen non possit nisi fuerit ordinatus. sed cum in contritione deus dimittit peccatum. cur oportet quaeso deinceps sacerdoti vel ecclesiae confiteri. Et arbitror inter ceteras causas hanc esse praecipuam. ut per hoc scilicet sacramentum unitatis. quae est inter christum et ecclesiam commendetur. ut sicut duo sunt in carne una et in voce una. Itaque duo sunt in confessione una quod non in veteri testamento sed nunc exigitur. quia nunc non tantum hii duo sunt unum in carne una.

in questione veteris et novi testamenti

De generali confessione

S

Sic agenda est penitentia ut supradiximus. vel memoria est delictorum. Sed quia delicta nemo intelligit omnia. generaliter saltem ea confiteri oportet. ita scilicet ut augustinus ait. Hic enim. Si vero mente aliqua ceciderunt peccata confitetur quis veritatem deo. cum generaliter dicit. deus qui nosti occulta cordis. opera mea et delicta mea a te non sunt abscondita quibus veniam largiaris. Et haec est veritas confitentis quam diligit deus.

contra pelagianos

Si peccata dimissa redeant.

S

Solet etiam quaeri. utrum peccata dimissa redeant iterum peccanti qui penituit. Et dicimus quia utrumque salva fide teneri potest. Utrique enim parti quaestionis probati favent doctores. scilicet ut vel dimissa peccata redeant aliquo existente ingrato beneficiis quod evangelica parabola exprimere videtur. vel ut non redeant. sed eo loco tot sunt ingratitudines quot peccata dimissa fuerant. Unde. Benedic anima mea domino. Et noli oblivisci omnes retributiones eius. quia tot sunt quot sunt remissiones. tot ergo sunt et obliviones.

De his qui in fine penitent.

Denique cum penitentia semper necessaria sit. illa maxime laudabilis est quae non tantum fit timore sed et libertate. Unde augustinus. Nullus expectet quando peccare non potest. arbitrii enim libertatem quaerit penitentia ut possit delere commissa. non necessitatem caritatem. non tantum timorem. quia non in solo timore vivit homo. Illa ergo quae in extremis agitur. non sic laudabilis est. quia magis ex timore quam ex caritate esse videtur. quando scilicet magis te peccata dimittunt. quam tu ea. Unde augustinus. Si vis agere penitentiam quando iam peccare non potes.

it ... pen...

in eod...